

CIRCARIA TUSCIAE ET CALABRIAE

Hoc est nomen eius authenticum, quo tempore cum abbatiae eius florerent, in antiquis indicibus exclusive solebat designari. Vox „Circaria Romana“ videtur esse inventa ab historicis Ordinis saec. XVII. Monasteria eius in Italia fuerunt sita in Tuscia, in Latio, in Campania, in Apulia et in Sicilia. In Calabria hodierna fuit nullum¹. Propter canoniam Gratterii prope Cefalu invenitur etiam designatio „Tuscie, Calabriae et Siciliae“. In ultimis catalogis, circa annum 1300 redactis, etiam adscripta est ei canoniam Bellapais in Cypro, ex circaria „Graeciae et Hierosolymitana“, quae tunc iam interierat, sola superstes.

Mirum est, Ordinem Praemonstratensem in Italia exigui fuisse momenti. Ordo iste, qui uno tantum potest gloriari summo Pontifice², et ne uno quidem Cardinali, novem habuit abbatias in Peninsula, ceteroquin monasteriis omnis generis generose consita – ubi tot ordines sunt orti, et ubi pulsatur cor ipsius ecclesiae. Minus vero est stupendum, pro omni qui cum historia ecclesiastica Italiae est familiaris, has abbatias per pauca tantum saecula floruisse, et diu ante sic dictam saecularisationem fuisse extinctas. Ultimus canonicus Ordinis in Italia enim videtur esse defunctus in Barletta medio saeculo XVI. Prima fundatio facta est in Todi, Umbriae, anno 1133, quam sequitur probabiliter illa in Gratterii anno 1140, deinde Barletta anno 1149. Quae primae foundationes longe inter se distabant. Inde ansa separationis, et deficiente arctu connexu inter se, etiam relaxationis, cui sub coelo meridiano citius indulgetur quam alibi. Post decennia secuta sunt Brindisi circa annum 1180, dein Camerota anno 1194. Factae sunt hae foundationes omnes per principes stirpis normannicae vel per tales, qui cum Gallia alio modo familiariter erant connexi.

Saeculo XIII ineunte, abbas generalis Gervasius Anglus, zelo ordinis flagrans, apud Summos Pontifices multum valens, saepius venit in Italiam et impetravit eo quoque tempore, quo primae foundationes ordinis (in Todi, Brindisi, Gratterii) iam coeperunt graviter collabi, ut aliae abbatiae conspiciuae ordini suo traderentur (Antrodoco 1215, S. Alexius in Roma 1226 et Orvieto 1231). Gervasius autem et alias domus circariae pro posse reformavit, et paterne de eis curavit, ut patet ex variis epistolis eius quae sunt maximi momenti pro historia huius circariae³.

Wilhelmus, eius secundus successor et pariter Anglus (1233–38), etiam de

¹ Hac voce medio aevo designabatur tota Italia inferior.

² Gregorius VIII 1187 quod patet ex Anonymo Laudunensi (MGH SS, XXV 443 sq) Vide etiam BACKMUND MaGSchr 270.

³ Edita sunt apud HUGO Sam epp. 1/124.



circaria italica valde erat sollicitus et abbates eius admonuit enixe, ut ad amussim veniant ad Capitulum Generale – praesertim reprehendit abbates Apuliae, quia tam raro adeunt Capitula, dum „alii abbates longe dissiti ut Dani, Scoti, Hiberni et Poloni quotannis fideliter appareant“. Concessit eis tamen, quod alternatim omni anno unus saltem abbas veniat ex Italia⁴. Saeculo XIII Praemonstratenses in Italia apud Summos Pontifices magno favore fuerunt dotati. Honorius IV die 17 dec. 1287, confirmationem mittit privilegii immunitatis; Nicolaus IV, die 9 sept. 1288, episcopis mandat ut in parochiis ab ordine dependentibus recipiant canonicos ab abbatibus et praepositis (sic!) designatos, die 17 aprilis eiusdem anni concedit, ut Praemonstratenses, apud amicos manducantes, edant quae ipsis apponuntur, inclusa carne, eadem die iussit ut eius canonici et conversi vagantes incarcerationentur⁵. Quae aestimatio Summorum Pontificum iam apparet ex facto, quod in omnibus canonici Italiae, praeter Brindisi, Praemonstratenses ut ordo reformatus, substituti sunt aliis religiosis, et quidem monachis Benedictinis relaxatis, vel in casu Camerotae, forsitan monachis graecis, Latinis tunc valde odiosis. In Italia nempe potuit accidere, ut monasteria florentia iam post pauca decennia adeo erant collapsa, ut suppressio eorum esset necessaria vel ut conventus se ipsum paulatim dissolveret (quod valet aliquo modo etiam pro canonici circariae nostrae).

Magna est affectio Italicorum ad familiam suam, id quod fuit causa vitii nepotismi, magnam in perniciem non solum ordinum sed totius ecclesiae. Traditae sunt ordini nostro fere semper abbatiae ditissimae perantiquae fundationis, quarum divitiae fuerunt in laqueum non solum monachis nigris, sed etiam canonicis albis. Pluries abbates, in malignitate cum conventu suo concordantes, dilapidaverunt bona monasterii „emphyteutice“, id est in favorem propinquorum et amicorum, nec amplius novitios acceperunt, ut quo minor esset numerus religiosorum, eo maiorem partem unusquisque e fructibus reddituum in usum proprium posset emungere. Ex hoc, nullibi invenimus in canonici nostris communitatem numerosam.

Collapsum circariae promovit insuper nefastum exilium Avenionense, praesertim vero schisma subsequens. Praemonstratum longinquum abhinc vix amplius curavit de hac circaria, visitationes cessaverunt. Accessit secundum malum, quod primo omnium in Italia vitam monasticam et canonicam interemit, fuit enim nefandum systema commendarum. Ab anno circiter 1300 paulatim invaluit apud Curiam Romanam plangendus abusus, ut abbatiae supradictis ex causis emortuae vel collapsae, non ut oportuit debite re-

⁴ Et hic est fons praestantissimus: HUGO l. c. ep. 120 et LEPAGE 927/28.

⁵ A. M. dal PINO, Bolle di Onorio IV e di Nicola IV ai Servi di Maria in: *Studj Storici dell'Ordine dei Servi di Maria* V (1953) 62, 67.

formarentur, sed darentur in commendam extraneis tamquam mera beneficia. Canonicae exinde datae sunt regulariter ab ipsa dataria Romana cardinalibus vel illorum nepotibus, et episcopis, sed pluries laicis „clericis“, qui pro forma minores sibi fecerant impertire. Initio Curia Romana exegit, ut habitum ordinis acciperent commendatarii, quae sanctio mox negligebatur. Commendatarii bona, a religiosis illegitime alienata recuperaverunt, et abhinc ut sanguisugae ea expresserunt in proprium emolumentum. Cum abbatia S. Leucii in Todi propter collapsum totalem anno 1236 esset a Curia Romana suppressa, bona data sunt conventui vicino Clarissarum, dum aedes abbatae cessae sunt fratribus Praedicatoribus. Commenda tunc temporis nondum erat communis. Gratterii transierat paulo post, iam antequam data esset in commendam, sicut Orte ad alium ordinem. Romae, in Orvieto et Camerotae monasteria – salvo instituto commendae – saec. XV data sunt aliis religiosis. Per negligentiam commendatariorum, qui praesentiam religiosorum aegre ferebant, aedes mox corruerunt in ruinas. Tantopere periit memoria ordinis nostri eiusque canoniarum, ut iam saeculo XVI apud cancellarias Romae et Neapoli non amplius esset notum, cuius ordinis illae quondam fuerint.

Probabiliter multa archiva, cum in abbatiis plane ruinosi non iam possent conservari, a commendatariis quibuslibet admixta sunt archivis privatis, ubi aut sunt dispersa, aut requiescunt incognito in deposito, ubi nemo ea quaerit. Per multa et ubera extant archiva ecclesiastica in Italia, sed generatim non sunt ordinata, et exinde omnino inaccessibilia⁶.

Facile est intelligendum, nos hisce in circumstantiis pauca tantum de historia singularum canoniarum potuisse eruere. Sola historia Abbatiae S. Alexii melius est documentata.

Tamquam ruinae in diem magis collabentes, vel in manibus alienis elanguerunt misere commendae illae adhuc per saecula, donec suppressio Napoleonica annis 1798–1810 illis finem posuit. In statu Pontificio vero anno 1816 etiam illae sunt restitutae, et viguerunt usque ad annum 1861 respective 1873, quo et commendae S. Severi et S. Alexii sunt saecularisatae.

Superiores canoniarum ab initio et semper, si prima decennia Gratterii excipimus, in hac circaria fuerunt abbates, qui generatim iam saeculo XIII infulati fuisse videntur. Mirum est, religiosos huius circariae in omnibus fere documentis vocari „monachos“, et quidem in graecis aequae ac in latinis. Generatim religiosi titulabantur „fratres“, immo abbates. Gratum est nobis, in Italia existere duas picturas valde pretiosas: antiquissima enim quae nota est,

⁶ Dolendum est valde, archivum praestantissimum pro historia Italiae Inferioris, nempe Archivum Status Neapoli, ex adiectis belli peracti fuisse flammis consumptum.

imago sancti Norberti fundatoris (c. an. 1300, Orvieto), et imago cuiusdam „fratris Menici“, ex anno 1463, qui probabiliter ad abbatiam S. Quirici pertinuit. Picturae huiusmodi sunt rarissimae.

In ordine Praemonstratensi omnia monasteria ad medium usque saeculum XII solebant fundari ut duplicita, postea sorores translatae sunt vel suppressae. In Italia, parthenonis nullius existentia authentice est probata, dum ille ad S. Caeciliam in Orvieto res maneat dubia. Neque scimus aliquam canoniam fuisse monasterium duplex. Parochiae incorporatae et a religiosis administratae, ut alibi de more, in Italia ante concilium Tridentinum vix extiterunt, immo ecclesiae abbatiales iuribus parochialibus, quae pro tota dioecesi, praesertim in Italia inferiore, fuerunt penes episcopum, partim tantum participaverunt. Sed abbatiae Benedictinae generatim ibi possederunt multas capellas rurales in praediis et possessionibus suis, quae pluries excurrando ab abbazia administrabantur, et quarum nonnullae erant coniunctae prioratibus parvis communitatibus praeditis. Saepius etiam eremi et immo antiquae abbatiae, plane emortuae, alteri abbatiae erant incorporatae tamquam curiae vel capellae. Hereditatem huiusmodi Praemonstratenses ubique aggressi sunt, ubi abbatiae monachorum eis sunt traditae. Certe scimus verbi gratia, abbatiae S. Severi fuisse incorporatam illam de Acqualta, et S. Leucius possedit sex prioratus et decem capellas. Exemplum S. Joannis de Plano, de quo vide infra, demonstrat saec. XII etiam Praemonstratenses habuisse tales prioratus dependentes.

Exemptio ab ordinario, nisi iam apud foundationem expresse fuerat sanctita, generatim non fuit admissa. Personas sanctitate vel scientia eminentes hac in circaria nescimus, ex defectu documentorum. Certum est autem, saeculo XIII nonnullas canonias eius optime floruisse, abbates eius collaboraverunt in nova redactione statutorum ordinis, et iussu Sanctae Sedis reformaverunt abbatias longinquas vel aliorum ordinum. Multi abbates et religiosi nominati sunt episcopi. Pluribus canonis videntur fuisse adiunctae scholae, quarum rectores „praepositi“ sunt appellati⁷.

Rudera, quae de canonis huius circariae supersunt, potius modesta sunt dicenda. Abbatia S. Alexii Romae sola integra superest, sed valde mutata et renovata. Apud S. Severum Urbevetanum aedes pulcherrimae supersunt, insuper et picturae magni valoris. S. Quiricus et Gratteri sunt ruinae, et quidem haud spectabiles. Ecclesia superstes in Camerota vix est digna mentione, reliquae canoniae omnino solo sunt aequatae.

⁷ Anno 1296, in abbazia Sti. Severi signant: Bartholomaeus abbas, Johannes prior, Hieronymus praepositus et Gulielmus subprior (Arch. Comunale di Orvieto, Libellarius Sti. Severi).

ANTRODOCO SS. Quiricus et Julitta

Drusa, Vallis Lucis, S. Kiricus de Valle, – de valle Introduci, de Introduco, Inthretoco, de Micigliano.

Secus Viam Salariam, ad rivum Velino, in parochia et Terra de Micigliano, una hora distans ab oppido Antrodoco, versus aquilonem. In faucibus Aprutiorum, Dioec. Rieti. Quondam pertinuit ad regnum Neapolitanum.

Primitus erat abbatia Ordinis S. Benedicti, cuius origo ad tempora S. Gregorii videtur ascendere. Sanctus Severus martyr, patronus abbatae huius nominis in Orvieto, dicitur fuisse monachus in „Introduco“ saeculo VI. Ugo ille abbas Pharphensis, reformato eximius anno 986, etiam fuit monachus S. Quirici. Saeculo XII abbatia adhuc bene floruit, anno 1179 est reformata, et ecclesia eius consecrata est. Monasterium erat juris S. Petri, ergo S. Sedi immediate subiectum. Anno 1215 Innocentius PP. III de rogatu Gervasii abbatis generalis, tradidit S. Quiricum Ordini Praemonstratensi, simul monasterium subiugans iurisdictioni episcopi Reatini¹. Habebatur ut „filia Praemonstrati“. Iurisdictio civilis abbatae, quae erat ditissima et insignis, se extendit super vicos Antrodoco, Città ducale, Porta di Machilone, Rieti, Città di Penne, immo in partes Tusciae. Ecclesiae incorporatae: S. Giovanni dell'Isola, S. M. di Ronzano, Casanelle, Galbano S. Nicola, San Salvatore al Fano. Gervasius abbas generalis primo abbati Gaufrido suasit, ne „amplius monachos ex Aprutiis acciperet, isti essent enim Langobardi et astutissimi supra modum“. Anno vero sequenti, 1216, obligat Gaufridum ad resignationem, quia esset „nimis simplex“. Anno 1285, Simon abbas visitat abbatiam Tal-y-Llychau in longinqua Wallia². Anno 1292, per bullam possessiones monasterii ab intrusoribus iniuste occupatae restituuntur ab Nicolao IV. Anno 1454 abbatia data est in commendam, et quidem episcopo Aquilano. Qui videtur expulsisse conventum. Nuper in montibus prope Spoleto detectae sunt in capella quadam picturae, inter illis canonicus quidam ordinis, albis vestitus, quod probat inscriptio: „Ego Fr. Menicus canonicus Ordinis Praemonstratensis, rector istius ecclesiae et curatus in Ucenelli an. 1463“. Magna est probabilitas, eum fuisse ex ultimis canonicis S. Quirici³. Per neg-

¹ PRESSUTTI 2204. Monachi nigri fuerant corrupti, abbatem suum necaverant et luxuriose viventes dissipaverunt bona loci. Fridericus II Imperator traditionem ad Ord. Praem. anno 1217 confirmavit et abbatiam in suam specialem tutelam assumit (HUGO SAM 26/32).

² Public Record Office, Ancient Correspondance, London 1907, XX 20.

³ Capella vocatur San Girolamo in parochia Occenelli, in extrema solitudine sita (Dioec. Spoleto). Prima et unica vice tractant de ea S. NESSI et S. CECCARONI, Da

ligentiam abbatum commendatariorum periit archivum, et collapsae sunt aedes canonicae, quae deinceps carebat conventu.

Ecclesia saec. XVII adhuc est restaurata, nunc vero est, sicut totum monasterium, ruina desolata. Commenda, quae fuit patronatus regis Neapolitani, anno 1808 suppressa est. Videntur ibi hodie e medio aevo turris quadrata fortissima, et maior pars monasterii, in quo discerni possunt capitulum, sacristia et variae capellae. Sed fornices ubique sunt collapsae.

Archivalia: videntur periisse. Secundum KEHR o. c. multa archivalia huius abbatae saec. XVII fuerunt Romae apud virum quendam privatum. Supersunt tamen documenta recentiora, de tempore commendae, in Arch. di Stato Napoli (Fondo dei Castasti Carolini, item Catasto Onciano, Fondo del Patrimonio Ecclesiastico). Varia etiam in Archivis dioecesanis de Rieti et de Aquila, et in Archivio Municipali di Trevi. Aliquae vetustiora, quae vero Benedictinos solos tangunt et quorum regesta publicata sunt in collectionibus notis, inveniuntur in Archivis Vaticanis. Cf. etiam MS Annali del Di Meo, vol. X (Arch. di Stato Napoli p. 420) – BMun Nancy, MS 995/III ff. 11/14. –

Bibliographia: AUVRAY 332, 415 – BACKMUND Ordo Praem. It. 112 – COTTINEAU 122 – DHGE I 991 – HOBURG Taxae p. 309 (1321, 1420, 1441 debuit solvere 40 florenos) – HUGO Ann. II 593 – IDEM SAM Nr. 26/32 – KEHR It. Pont. IV 26/27 – Lettr. Jean XXII 12920 – MGH EpSel I 320 – POTTHAST 625, 5402, 5565 – PRESSUTTI 2204, 5402 – LUBIN 178 – Reg. Honorius IV 6429, 6521 – UGHELLI VI 1030, VII 1316 – WAEFELGHEM 551 – ZAK EOP 165, 141 – IDEM OPI – P. ANGELOTTI Descrizione della Città di Rieti, Roma 1635, 114 – N. ANTINORI, Raccolta di memorie storiche delle tre provincie degli Abruzzi, Napoli 1781/83, II 68 – N. BACKMUND, Rarissimo ritratto di un Premonstratense nello Spoletino (Spoletinum XIX 22, 1977, 86/88) – IDEM, Das Porträt eines Prämonstratensers von 1463 in Italien entdeckt (Anal. Praem. 1979, 237–39) – J. SCHUSTER, L'Imperiale Abbazia di Farfa, Roma 1921, 113, 116 – Bollettino di Storia Patria per l'Umbria, Piceno e Marsica IV 26 –

Abbates

Gaufridus 1215/16	Cardinalis Baudinus –1634
Gerardus 1216	Card. Alessandro Cesarini 1634–
Simon 1285	Filippo Buonaccorsi –1727
Richardus 1321 ⁴	Mario Tanzi 1727/54
Petrus Antonius 1432 ⁵	Silvestro Torques 1755
Episcopus Aquilanus 1454	Luigi Canofari 1795/1808
Amico Angifilo della Rocca 1467	Inseri nequit: Robertus ⁶

Spoletum a Sangemini attraverso le Terre Adolfe (Itinerari Spoletani Nr. 3, Spoletum 1975, p. 32).

⁴ Lettr. com. Jean XXII l. c.

⁵ C. EUBEL, II Münster 1898, 215

⁶ Occurrit in necrologio abbatae Branensis (Braine) die 14a januarii (ed. E. BROUETTE in Anal. Praem. XXXV, 1958, p. 282:) „quondam abbas ecclesie Sti. Quirici“ quod innuit eum resignasse.

BARLETTA St. Samuel

Barulum, Parlutt, – litt, Locus Sti. Samuelis in suburbio Barulensi, – de Clausura. Occurrunt saec. XII et XIII tituli „SS. Archangeli, S. Michaelis, S. Thomae, Omnes Sancti“ – sed incertum est, an agatur semper de una eademque ecclesia. Nomen „La Chiusa de li Scavani, – Schiavoni ei datum est tantum in fine saeculi XVI, cum vita regularis iam esset exstincta¹.

Juxta, nunc intra civitatem Barulensem, non longe a mari. Dioec. Trani – Barletta, Apulia.

Ecclesia et abbatia Sti. Michaelis (et Thomae) de „Loco qui dicitur Clausura“ fundata est, secundum traditionem, a tribus sacerdotibus Eustachio, Sillitto et Balzano.

Abbas eius Salomon qui memoratur anno 1144, fuerat probabiliter OSB vel Graecorum. Anno 1149 a Rogero II duce Calabriae de novo fundata vel potius ordini nostro tradita est. Filia de S. Marie du Bois in Lotharingia, sed definitive considerata est ut filia Praemonstrati. Mutatio patrocinii in S. Samuelem, anno 1149 iam perfecta, debetur certe continuo commercio cum Terra Sancta, ubi vix abbatia S. Samuelis fuerat condita, et reliquiis istius prophetae forsitan inde allatis.

Abbatia S. Samuelis Baruli, quae erat ditissima et insignis, et genuit filias in Brindisi et in Camerota, habuit aedes valde extensas. Abbas Ricardus an 1219 infulatus est. Abbatia arcte subdita erat archiepiscopo Tranensi, qui immo omni electioni abbatum praesedit. Tamen a saeculo XIII, saltem de jure. S. Sedi tantum erat submissa. Anno 1214, erant ibi 17 canonici, nempe abbas, prior, subprior, perceptor, cantor, succentor, 8 sacerdotes et 3 diaconi. Anno 1300 habuit hospitale, et panificium magnum. An. 1349 milites Hungari, una cum indigenis captivum ceperunt abbatem et capite eum plexerunt cum duobus aliis, „nimis enim“, ut ait chronista² „suppresserunt civitatem“. Floruit tamen canonia cum abbatibus regularibus longe diutius omnibus aliis circariae. Anno 1528 a Gallico exercitu irruente combusta et diruta est, qua occasione etiam archivum fere ex integro periit. Abbas Antonius de Capellis circa annum 1535 instauravit ecclesiam, iterum collegit communitatem in suo palatio abbatiali, admisitque novitios, volens relevare canoniam secundum statutum ordinis non episcopo, sed S. Sedi subiectam, ut ipse fatetur anno 1545. Quo vero in tentamine non successit. Conventus paulatim exstinctus est, et superfuerunt abbates soli, quibus post medium saeculum XVI secuti sunt commendatarii. Saeculo sequenti commenda facta est haere-

¹ Tunc in aedibus eius collocatae sunt 200 familiae Slavorum.

² Chronica Dominici Gravina, in Arch. Capituli Barulensis, fl. 64.

ditaria in familia Affaitati. Abbas Domenico Affaitati restaurat ecclesiam diu neglectam anno 1670, tamen archiepiscopus Tranensis, qui eam visitat versus finem saeculi, eam comparat „sterquilinio“. Seccia scribit anno 1769: „Quinquaginta annos ante adhuc cultus celebrabatur in ecclesia hac, sed mutationes terrae et aquae in portu infra brevi eam ruinaverunt“ (p. 282). Anno 1796, proventus, quae adhuc fuerant 300 ducatorum auri, unita sunt Seminario Tranensi, et ecclesia anno sequenti solo aequata est. Hodie tantum pars quaedam in aquilone civitatis. „Vico San Samuele“ vulgo nuncupata, et quae novem vias stratas complectitur, nomen et extensionem pristinae canonicae in mentem revocat. Supersunt aliquae imagines, hac ex canonica provenientes, in ecclesia S. Augustini Baruli, sicut et sculpturae in Musaeo Municipali. Probabiliter et imago cuiusdam canonici ordinis, quae est in Musaeo Nationali Neapoli, ex S. Samuele venit.

Archivalia quaedam supersunt in Archivis Capituli Barulensi et Tranensi. (Cf. SANTERAMO, La Badia).

Bibliographia: AUVRAY 601, 2712 – BACKMUND Ordo Praem. 14/17 – COTTINEAU 266 – DHGE Art Barletta – HUGO Ann. II 737 – IDEM SAM 24, 120 – LUBIN I 42 – POTTHAST 756, 2078, 3522, – PRESSUTTI 1626 – UGHELLI VII 1011 – VENDOLA Documenti Nr. 81, 99, 108, 113, 114, 128, 174, 194 – IDEM Rationes Nr. 840, 863 – WAELFELGHEM 250 – ZAK OPI 5 – R. FILANGIERI, Codice Diplomatico Brese, Pergamene di Barletta, Bari 1927, Nr. 67, item Bari 1914 Nr. 240 – S. LOFFREDDO, Storia della Città di Barletta con corredo di documenti, Trani 1893, I 310, 312 – A. di G. PROLOGO, Le carte che si conservano dell'Archivio Metropolitano della Città di Trani, Barletta 1877, p. 207 et cf. indicem – S. SANTERAMO, Codice diplomatico Barlettano Barletta 1924/31: I 102, 174, 229, 260, II, IX, cf. ind, XVI 4, 65, 68 – IDEM, Le chiese distrutte di Barletta (concinata ex periodico „Il Buon Senso“ 1920/21 sq. Barletta 1921, 75/79) – IDEM, L'Abbadia premonstratense di San Samuele di Barletta (Anal. Praem. XXXIV 1957, 61/81) – G. SECCIA, Della Città di Barletta dall'Epoca di sua fondazione fino al 1769 (MS Bibl. Comun. Barletta p. 282).

Abbates (SANTERAMO)

Theodoricus 1145 ³	Simon de Medicis 1509
Durandus 1214	Antonio de Capellis 1528/51 res.
Henricus 1216	Andreas de Capellis 1557/68
Richardus 1219 ⁴	Augustinus de Caglione 1568
Thomasinus ca. 1230 ⁵	Paulus Ghiselli 1576, † ante 1585

³ Necr. St. Jean d'Amiens 24. III (Anal. Praem. XLII 1975, 130. Erat primus abbas (ibidem XLIV 1977, 134).

⁴ Factus erat episcopus de Minervino Murge, resignaverat, dein S. Sedes ordinavit eum posse uti pontificalibus in ecclesia S. Samuelis (VENDOLA, Documenti n. 108).

⁵ Per simoniam factus est episcopus de Potenza, ideo anno 1231 a Summo Pontifice est depositus (ibidem, Nr. 174).

forte regularium ultimus
Giulio Monaco di Carrafa 1578/79
Giambattista Barbetta 1585/89
Annibale de Paulis 1589
Sertorio Vulgano 1591/1602

Girolamo Gentile 1618
Ottavio Affaitati 1641–
Domenico Affaitati 1670/78
(in cuius familia deinceps com-
menda facta est haereditaria)

Angelus 1319 et Franciscus 1374 potius erant simplices canonici quam abbates⁶. Inserir nequeunt sequentes, ex Obit. Prémontré: Arnoldus 25. IX (in necrologiis de Cuissy et de Floreffe vocatur eodem quidem die Arnulphus, quod est probabiliter idem), Hubertus 27. I, Landericus 28. VIII, Radulphus 10. III, qui omnes videntur pertinere ad saec. XII/XIV. Citatur insuper in diplomate quodam anni 1409 „Turris Helie seu dell' Abate“, ex quo licet concludi, abbatem nominis Eliae extitisse.

BRINDISI Sta. Maria in (Parvo) Ponte

Parvus Pons Brundusii, Apulia, Dioec. Brindisi.

In austro civitatis, extra portam Lyciensem (Porta di Lecce), in palude iuxta „parvum pontem“ sita erat haec abbatia, quae vulgo „Madonna del Ponte“ vocabatur¹.

Sanctuarium B. M. V. de Parvo Ponte ex populi devotione iam antea constructum coeptum, a Margarito comite Malthae circa annum 1180 est completum et cum monasterio adiuncto, ab eodem comite Praemonstratensibus ex vicina abbatia S. Samuelis traditum. Anno 1216 vocatur „specialis filia Praemonstrati“. Ecclesiae incorporatae: S. Maria di Mesagne, et in civitate ipsa ex donatione fundatoris: S. Margaretae prope castellum et S. Demetrii iuxta ecclesiam cathedralem. Ab initio abbatia erat exempta et S. Sedi immediate subiecta². Anno 1212 nobilis vir Nicolaus de S. Audomaro (S. Omer, ergo flander) donat abbati et fratribus nostrae canonicae casale, quod dicebatur Hermocastron prope Thebas in Graecia³.

Quantopere disciplina in ipso coenobio Brundusino hoc tempore iam erat collapsa, etiam erui potest ex sequentibus. Anno 1216 conventus rogavit ab-

⁶ S. SANTERAMO, L'abbazia premostratense di San Samuele di Barletta, in AP, XXXIV (1957), p. 71.

¹ Vitetur confusio cum abbatia B.M.V. de Magno Ponte in eadem civitate, quae erat monialium OSB. Quod accidit apud varios auctores.

² De LEO Nr. 42.

³ Ibidem Nr. 41. Vide de hoc prioratu infra apud. Circ. Graeciae.

batem generalem Gervasium, ut abbatem sibi mitteret ex Gallia⁴. Quod et factum est. Cum ille abbas mox gravem incidisset in morbum, pars seditiosa conventus tradidit abbatiam archiepiscopo, qui directionem commisit cuidam sacerdoti saeculari et istis malis religiosus, in perniciem canoniae. Paulo post, anno 1227, „innumerabilis turba cruce signatorum“ ex Flandria, ducibus duobus canonicis ex ordine Praemonstratensi abbatiae Ninivensis, advenit Brundusii. Unus ex his canonicis, Fr. Andreas, in abbazia nostra repente obiit⁵. Supponere licet, sicuti morbum supradicti abbatis et mortem illius canonici per venenum conventualium fuisse peractos. Bona canoniae adhuc saeculo XIII sunt dilapidatae omnino, et inter annos 1274 et 1310 illa videtur desiisse⁶.

Ecclesia quidem et in posterum saepius in documentis occurrit, sed conventus non amplius memoratur, nec quicquam constat certi de sorte aedium et bonorum. Non videtur esse facta abbatia commendataria.

Ecclesia sola, basilica romanica valde pulchra, saeculo XVII supererat. Vertendo paludem paulatim in terram siccam, ecclesia destructa est, anno 1817 videbantur adhuc eius ruinae. Hodie subsistit eius loco, secus viam ferream, capella modica. Imago B. M. V. „del Dolce Canto“, quae ex ecclesia abbatiali provenit, translata est in aliam ecclesiam, ubi adhuc hodie colitur. Archivum periit, subsistunt tamen aliqua instrumenta in registris Archivi Vaticanici, et in Archivio Capituli Brundusini.

Abbates noscuntur pauci, secundum De Leo, et Potthast: R . . . 1216, Angelus? 1221, Bene 1244, P . . . 1274.

Bibliographia: BACKMUND Ord. Praem. 17/19 – COTTINEAU 504 – DHGE II 74 – FABRE 28 (confusio cum abbatia monialium OSB?) – HUGO Ann. II 497 – IDEM, SAM Ep. 20/24, 88 – LUBIN 283 – POTTHAST 85, 4481 – PRESSUTTI 1010 – UGHELLI VII 937, IX 42/44 – VENDOLA Doc. 3, 66, 83 – ZAK OPI 5 – C. A. GARUFI, Margherito de Brundusio, in: Miscellanea in honorem prof. Salinas, Palermo 1907 – R. JURLARO, Gli Ordini Ospedalieri e la funzione sociale religiosa dei loro Ospizi sui porti del Basso Adriatico al tempo delle Crociate, Reggio Emilia 1960, 645/51 – P. KEHR, Ältere Papsturkunden in den päpstlichen Registern von Innocenz III bis Paul III, Göttingen 1902, Nr. 19 – A. DE LEO, Codice Diplomatico Brundusino 492–1299, Trani 1940, Nr. 34, 41, 42, 61, 90 – A. della MONACA, Memoria storica della . . . Città di Brindisi, scritte da Frate Andrea della Monaca, Lecce 1674, p. 60, 316, 356 – A. PIGONATI, Memoria del riaprimiento del Porto di Brindisi sotto il regno di Ferdinando IV, Napoli 1781, p. 43 –

⁴ Ibidem epp. 20/24.

⁵ Chronicon Balduini Ninivensis, MGH XXV SS 542. – Cf. BACKMUND MaGSchr 231.

⁶ Forte etiam insalubritas aeris – canonica sita erat in medio paludum – ad interitum eius contulit. In ratione Decimarum Italiae (VENDOLA) anno 1310 monasterium non iam apparet.

CAMEROTA S. Petri

Cammarota, Sancti Petri Licusati de Camerota, delli Cusati, S. Petrus Cusatorum, Casalis Cusatorum, Casalis Licusatorum, Li Cosati, Lycusate, de Cusato. Una hora distat ab oppido Camerota, in cuius baronia erat situm et cuius nomine tempore Praemonstratensium communiter erat designata¹. Dioec. Policastro, prov. di Salerno.

Abbatiam hanc iam antea a monachis Graecis fuisse fundata, non est certum². Fundata est anno 1194 per regem Gulielmum III, vel potius per matrem eius Sybillam³. Primi canonici venerunt ex Barulo. Saeculo XIII, fatente ipso abbate generali Gervasio, bene floruit, sed ceteroquin de fatibus eius nihil scimus. Nominatim, ne unus quidem abbas regularis nobis est notus, ne unum documentum ex tempore illius superest. Habuit curias cum capellis in S. Caterina di Pisciotta, hodie Caprioli, ubi supersunt aedes pervetustae et partes romanicae ecclesiae, et etiam in Castelnuovo. Communitas adhuc existit saec. XV, adducitur abbas regularis annis 1418/24⁴.

Paulo post data est in commendam. Anno 1543 monasterium a Saracenis devastatum est. Sed adhuc anno 1576 ecclesia abbatialis erat pulcherrima⁵, corona quasi capellarum circumamicta. Anno 1564 suppressa est commenda, et unita est, una cum abbazia S. Nazarii de Cuccaro Basilicae Vaticanae. Illa fecit de ea abbatiam nullius, a Policastrensi dioecesi seiunctam et a Capitulo Vaticano immediate administratam. Postremo haec abbatia nullius appellabatur „S. Nicola del Bosco“, secundum ecclesiam quandam vicinam, quae iam a medio aevo probabiliter abbatiae S. Petri fuerat incorporata, quae

¹ Hodie quidem iam a saeculis (post extinctionem vitae regularis) appellatur San Pietro di Licusati, quod genuit confusionem haud parvam apud varios auctores, quorum multi abbatiam propterea duplicaverunt (Licusati/Camerota). Nos autem ex traditione nomen primitivum „de Camerota“ retinendum esse duximus.

² Lingua et ritus Graecorum tunc temporis in Calabria, quae „Graecia Magna“ vocabatur, adhuc praevaluit. Basiliani habuerunt plures abbatias in regione Camerotae: v. g. S. Cononis, et S. Johannis a Piro, cum quibus Licusati plus semel est confusa. Principes Normanni et deinceps Suevo Graecos habuerunt in odio et omni modo eos suppressere et latinizare studuerunt.

³ Gulielmus III rex, tunc adhuc puerulus, mense Februario anno 1194 sub tutela matris Sybillae regnum adeptus est, sed semper cum illa ab ira Henrici VI Imperatoris profugus in arce quadam vixit in Sicilia. Demum iam mense Septembris eiusdem anni abdicavit, qua occasione Imperator ei parvum dominium in Apulia tradidit. Nihilominus instrumenta regia nomine eius vel matris signata, sunt nota (Cf. F. CHAILLON, *Histoire de la domination normande en Italie et en Sicile*, Paris 1907, II, pp. 476–91).

⁴ HOBERG *Taxae* 293.

⁵ BACKMUND *L'eglise* o. c.

vero certe numquam fuit abbatia. Saeculo XVIII apud ecclesiam S. Petri iterum apparet conventus Ordinis S. Basilii⁶, qui substitit usque ad annum 1808. Hodie loco canoniae est coemeterium parochiale, ecclesia habuit saeculo peracto adhuc turrin et picturas ex anno 1475⁷. Hodie est valde mutilata et immutata et est locus sepulturae, id est crypta. In maceria coemeterii an. 1950 adhuc discerni potuerunt partes monasterii. Vetus archivum inveniri nequit. In Archivo Basilicae Vaticanae habentur multa documenta administrativa ab anno 1482.

Abbates: (Arch. Stat. Napolet.)

Petrus 12..?	Giandomenico di Sorrento ante
Thomas Anellis de Petrutiis 1482	1564
Martius Gorlonii de Neapoli 1547	Cardinale Alessandro Farnese 1564

Bibliographia: BACKMUND Ord. Praem. 20/22 – COTTINEAU 574 – HOBERG Taxae 293 – HUGO Ann. II 574 – IDEM SAM Nr. 24 – LUBIN 73, 117 – UGHELLI 1a ed. VII 759, 940 – ZAK OPI 5 – V. D'AVINO, Cenni storici sulle chiese . . . del Regno delle Due Sicilie, Napoli 1848, 537/39 – N. BACKMUND, L'Eglise abbatiale de St. Pierre de Camerota vers la fin du XVIe siecle (Anal. Praem. XXVII 1951, 149/55) – Bullarium Basilicae Vaticanae Romae 1750, III 106/12 – R. FILANGIERI, Regesta chartarum Italiae I, Atti perduti della Cancelleria Angioina, trassunti da Carlo de LELLIS, Roma 1943, 71 – R. GAETANI, L'antica Bussento, oggi Policastro Bussentino e la sua sede episcopale (Gli Studj in Italia V, 1882, I 366) – P. M. DI LUCCIA, L'Abbadia di San Giovanni di Piro, Roma 1700.

GRATTERI S. Georgii

Gratteris, Grattera, Gratterium, Cratteris, Gratteria. S. Georgii in Cavea Gratteriae, Hagiau Georgiou ton Krateron¹. In capite vallis solitariae supra calvum montem posita, una hora distans ab oppido Gratteri, prope Cefalu in cuius dioecesi est sita. Unica domus ordinis in Sicilia.

Prioratus, deinde, post annum circiter 1200, abbatia. Fundatum est coenobium circa annum 1140 a Rogero, filio primogenito regis Siciliae eiusdem nominis, tamquam prioratus. Non est certum, utrum ab initio fuerit ordinis

⁶ Videntur vero hi monachi habitasse juxta ecclesiam parochialem S. Marci in Licusati. Ecclesia S. Petri dein erat succursalis, et vix ad officia adhibita. Abbatia vero a destructione per Saracenos anno 1543 erat ruina.

⁷ Quod mihi communicavit R. D. GALLO, parochus in Licusati an. 1950.

¹ Ut in Calabria, et in Sicilia lingua graeca hoc tempore praevaluit. Maior pars instrumentorum S. Georgii, quae supersunt, in illa sunt redacta. Secundum A. ZAK EOP (1929) 172, Gratteri etiam vocabatur Valle di Demona, vel Callatal.

nostri, an fuerit primo prioratus dependens ab ecclesia cathedrali Cephaludana, cuius capitulum eodem tempore factum est regulare Ord. S. Augustini. In primo diplomate quod superest, inter annos 1148 et 1155, de ordine non fit verbum, tantum de „monachis (!) sanctae et venerabilis domus de Crateri, quae est paupera“. Anno 1182 iam certe fuit Ord. Praem. Lucius III nempe hoc anno inculcat conventui S. Georgii, ut regulae arctiori Praemonstratensium maneat fidelis. Hoc iam aliquo modo demonstrat, ordinem fuisse mutatum, vel etiam Gratteriensis canonicos, instigante capitulo cathedrali, illius normae leviori (iterum?) se adiungere tunc iam studuisse. Annis 1160, 1182 et 1191 occurrunt priores tantum, anno 1223 vero iam abbas, qui erat infulatus et iam habuit ius ministrandi ordines minores.

Abbatia, quae initio, ut vidimus, fuerat paupera, tunc iam erat conspicua et dives. Ecclesiae incorporatae: S. Leonardo d'Isnello, S. Niccolò di Gratteri, S. Gataldo di Partenico, S. Pietro Prato di Gangi. Nescimus, sub cuius paternitate steterit, quia in omnibus antiquis indicibus deest². Secundum traditionem, non probatam quidem, fundata erat ab abbazia quadam in Normannia sita.

Capitulum Cephaludanum semper studuit hanc abbatiam ordini suo Augustiniano aggregare, quam aggregationem conventus Gratteriensis probabiliter tunc iam satis relaxatus, de facto videtur perfecisse post annum 1200. Anno 1234 certe non iam pertinuit ad Praemonstratenses, quia secus Wilhelmus abbas Generalis in sua epistola ad reformandas circariae abbatias profecto Gratteriam memorasset³. Attamen Clemens V anno 1307 loquitur de domo Ord. Praem. in Sicilia, quod nulla alia esse posset nisi Gratteri. Anno 1305 canonica est destructa, conventusque vi expulsus. In posterum videtur fuisse restructa, sed ab anno 1393 rex nominavit abbates, et ideo facta est commenda. Inter annos 1510 et 1645 cecidit in ruinam, et cum bonis suis data est Ordini equestri S. Joannis de Malta, qui eam tenuit usque ad saeculum XIX. Deinde data sunt bona, simul cum archivio, Hospitali civili (quondam Benefratelli) in urbe Panormitana. Superest modica ruina ecclesiae, quae nunc tanquam ovile in manibus privatis pessumdatur, in extrema solitudine amoenissime sita. Archiva, qui possunt continere instrumenta huius domus, pro dolor pro me erant inaccessibilia. Qui sunt: Biblioteca Comunale di Palermo, Archivio di Stato, Palermo (Tabulario di Cefalù, et Protonotaro del Regno), Archivum Capituli Cephaludani, Archivum Hospitalis Civilis Panormi. Nomina priorum, qui probabiliter ad ordinem pertinuerunt: Johannes 1160/82, Salathiel 1191. Quibus accedit Girardus abbas 1223.

² Nisi forte sit insertum antiquioribus catalogis sub voce adulterata „Gratfex“, quod vero designare potest etiam Carrickfergus in Hibernia.

³ LEPAIGE 927, HUGO Ann. I XXV; IDEM SAM EPIST. 120.

Bibliographia: Fontes Ordinis nesciunt – BACKMUND Ord. Praem. 22/24 – BERGER Nr. 4515 – COTTINEAU 1336 – JL Nr. 13055, 16527 – LUBIN 164 – POTTAST 16784 – Reg. Imp. ed. BÖHMER Innsbr. 1877, Nr. 1551, 8166 – V. AMICO, Dizionario topografico della Sicilia, Palermo 1855, I 544/46 – S. CUSA, I diplomi greci ed arabi di Sicilia, Palermo 1868/81, p. 98, 360; Nr. 720, 722 – L. FINOCCHIARO, Le glorie del gran martire San Giorgio, Palermo 1659, passim. Falso attribuit monasterium „Canonicis Benedictinis“. – C. A. GARUFI, I documenti inediti dell'epoca normanna in Sicilia (Documenti per la storia di Sicilia, prima serie XVIII) Palermo 1908, pp. 247/48 – P. KEHR, Papsturkunden in Sizilien (Göttingische Nachrichten, Phil. Hist. Klasse 1899 p. 326) – B. PASSAFIUME, De origine ecclesiae Cephaludanae eiusque dioecesi, Venetiis 1645, passim – R. PIRRO, 1a ed. Notitiae Siciliensium ecclesiarum, Panormi 1644, p. 497a; ultima editio: Sicilia Sacra, Panormi 1733 I passim II 839/40 – G. SPATA, Diplomi greci inediti, ricavati da alcuni manoscritti della Biblioteca comunale di Palermo (Miscell. di Storia Italiana IX 1870, 420; ed. separata, Torino 1870, 48) – L. TOWNSEND WHITE, Latin Monasticism in Norman Sicily, Cambridge (USA) 1938, 205/06 – M. VALENZIANO, La supplique des chanoines de la Cathedrale de Cefalu (Cahiers de Civilisation Médiévale XXI 1978, 3/30 (cf. Anal. Praem. 1979, 143) – C. VIRGA, Notizie storiche e topografiche d'Isnello e del suo territorio, Palermo 1878, 55 – E. WINKELMANN, Bischof Arduin von Cefalu und sein Prozeß, Innsbruck 1884.

ORTE (S. Maria della Verità?)

Toscana, dioec. Viterbo.

Pinzi hanc domum in civitatem Viterbo collocat et ordini nostro attribuit, ut fundata versus annum 1251. In fontibus ordinis ignota est omnino. Atqui credibili fonte probatur eam revera saec. XIII extitisse et quidem in Orte. In Libro Formulario S. Poenitentiariae saec. XIII, in casu quodam satis delicato, haec abbatia etiam memoratur expresse ut Ordinis Praemonstratensis. Iam ab ipso saeculo XIII domus in Viterbo apparet tamquam Ordinis Servorum B.M.V., qui modo eam adhuc tenet.

Bibliographia: BACKMUND, Ord. Praem. 25; H. C. LEA, A Formulary of the Papal Penitentiary in the Thirteenth Century, Philadelphia 1892, pp. 10–26; C. PINZI, Storia della Città di Viterbo, Roma 1887, I, 541; R. v. WAFFELGHEM, 262.

ORVIETO S. Caecilia

Parthenon. Erant in Orvieto, secundum Adami, saeculo XIII et XIV quatuor asceteria contigua, quorum tria erant OSB, et unum, ad S. Caeciliam, ordinis Praemonstratensis. Anno 1300 prima vice authentice occurrit. In posterum haec asceteria coagulata sunt in unum, quod sub invocatione S.

Pauli monialibus S. Dominici est traditum. Quod probabiliter quoad S. Caeciliam actum est iam maturo saeculo XV. Hodie de illo nihil superest, nisi porta murata secus viam. Origo huius parthenonis, si vere fuerit ordinis nostri, dupliciter explicari potest: Aut moniales erant residuum unici monasterii, quod potuit, respecta matura sua fundatione, initio fuisse duplex: S. Leucii Tudertini (quod vero vix nobis videtur esse probabile, quia monasteria duplicia in Italia fuerunt apud omnes ordines omnino inusitata). Sed fieri potest, et hoc asceterium Stae. Caeciliae, sicut tria alia, primitus fuisse OSB. Supponere licet, omnia quatuor stetisse sub directione abbatis Sti. Severi, cum illa adhuc pertinuit ad eundem ordinem. Forte unum ex illis mutationem abbatis matris est secutum. Quae hypothesis videtur esse alliciens. Sed cum nullum fontem invenire potuimus pro hac re, praeter Adami opus infra citatum, cuius valor scientificus non est eximius, res manet dubia.

Bibliographia: ADAMI (vide sub sequenti) 238/39

ORVIETO SS. Severus et Martirius

Hodie vulgo appellatur „La Badia“. Patrocinium S. Severi oblivioni est datum, et illud S. Martirii adulteratum est in S. Martini. Media hora distat a rupe Urbevetana, amoene sita in colle versus austrum.

Antiqua abbatia OSB, fundata est probabiliter sub titulo SS. Salvatoris saeculo VIII a Rotruda, nobili quadam muliere Longobarda, in loco, ubi iam antiquitus fuerat sanctuarium S. Silvestri. Saeculo XI optime floruit, ipsa Mathildis comitissa Tusciae ditavit monasterium et erexit turrim adhuc stantem anno 1103.

Sed anno 1221 monachi nigri sunt expulsi, et quinquennio post Honorius III Papa, de rogatu Gervasii abbatis generalis, Praemonstratenses ex ipso archicoenobio illis substituit. Abbatia fit locuples et insignis, ac saeculis XIII et XIV optime floruit. Possedit ecclesias incorporatas: abbatias OSB desolatas de Bagnaia et de Acqualta¹, S. Angeli in Posterula, et parochiam S. Martini in civitate Urbevetana, quas canonicis suis serviebat². Habuit insuper

¹ HUGO, II, 744 scribit, in abbatia Acqualta, quae in posterum Castelfiori vocabatur, anno 1277 fuisse parvus conventus Ord. Praem., ergo domus formata. Fieri potest, illam sicut et Bagnaia, profectis Benedictinis, fuisse prioratus abbatis S. Severi ad instar illorum quos habuit abbatia S. Leucii.

² In qua parochia an 1265 Ordo Servorum Mariae domum instituit, quod fuit ansa ad magnas lites cum abbatia S. Severi. Fulminata est bulla super illam „ne impediat erectionem monasterii Servorum S. Mariae“ (A. DAL PINO, Bullarium Ordinis Ser

prioratum in civitate, qui ut infirmitorium inserviebat³. Abbatia habuit etiam scholam. Post annum 1400 conventus, qui „malo regimine et negligentia abbatum quorundam multa in spiritualibus et temporalibus dampna et detrimenta sustinuerat“, videtur fuisse derelictus.

Datus est anno 1421 Olivetanis, unita est enim abbatiae de Accona, illius ordinis in dioecesi Aretina. Anno 1442 data est in commendam, anno 1449 cessavit conventus omnino, et iam saeculo sequenti per negligentiam commendatariorum maior pars aedium erat ruina. Anno 1471 commenda aucta est per redditus abbatiae S. Nicolai de Monte Tuderti OSB. Abbates S. Severi gavis erant exemptione passiva, commendatarii etiam activam sibi vindicaverunt, et nullius dioeceseos se esse praetenderunt. Anno demum 1845 S. Sedes haec praerogativa suppressit, sed commenda usque ad annum 1864 extitit. Apsis ruinosae ecclesiae est destructa⁴, tamen illa an. 1880 est restaurata et cultui inservit. Aedes monasterii partim sunt de tempore benedictino, ita perpulchra praelatura saec. XI, et ecclesia eiusdem temporis, quae habet pulchrum narthecum cum capella desuper, sicut et turrim speciosam octogonam, pinnaculis coronatam. Praemonstratenses novas aedes erexerunt versus aquilonem, nempe grande refectorium saec. XIV, picturis ornatum, claustrum – nunc destructum – et hospitium, quod magnam aulam fornicatam continet. In muris sacristiae (quondam capella lateralis) videtur speciosa pictura, imago fundatoris ordinis, S. Norberti. Provisus est aureola, in subscriptione expresse designatur tamquam sanctus, ad latus eius est S. Augustinus.

Hoc est primum testimonium monumentale cultus S. Norberti eatenus notum, trecentis fere annis ante suam canonizationem! Nostris diebus aedes habitabiles abbatiae ope proprietarii, comitis G. Fiumi, splendide sunt restauratae tamquam „albergo di lusso“, valde frequentatum.

Archivalia: Arch. Comunale Orvieto: Sexternum libelliariorum monasterii Sti. Severi et Martirii 1295/97, Inventarium bonorum 1490, cf. ibi Codex Urbevetanus Guidonis Valloclensis tom. III – BMun Nancy 995/I 159/69.

Bibliographia: BACKMUND Ord. Praem. 26/29 – BERGER 182 – COTTINEAU 2150 – Enc. Ital. XXV 643, Tav. CIV – HÖBERG, Taxae 322 (ex annis 1349, 1363, 1373, 1400, 1406, 1413, 1448. Solvit 80 fl) – HUGO II 741 – KEHR It. Pont. II 225 – Lettr. com. Jean XXII 8424, 11885, 13232, 13913, 15010, 17048, 17215, 18439, 19372,

vorum Sanctae Mariae, Roma 1974, p. 33). Saec. XV data est parochia clero saeculari.

³ Postea abbatia Cisterciensium facta est haec domus, hodie sunt ibi FF. Minores Capuccini.

⁴ Picturae et residua musivorum ex hac apside nunc sunt in Museo dell'Opera del Duomo in Orvieto. Reliquiae SS. Severi et Martirii an. 1583 translatae sunt in ecclesiam SS. Angeli in Pusterula.

22756/57, 24559, 26983, 44882/83, 44907, 45631, 49008, 51975, 53802, 54075, 54489, 54499, 55181/82, 56328, 56687, 62343, 62492 – LUBIN 307, 429 – MGH EpSel II 15, 16, 432, III 712 – MORONI XLIX 220, 223/24 – POTTHAST 13093, 17022, 19094, 24085, 25376 – Reg. Benoit XII 7897 – Reg. Boniface VIII 517, 769, 1773, 2095/97, 3759, 3790, 3818, 3864, – Reg. Clement IV 151, 1541 – Reg. Honorius IV 920, 1820, 5327, 6198 – RegImp V 13733 – RegUrbain IV, V 151 – UGHELLI V 1550 – ZAK 5 – ZAK EOP 1929, 135 IDEM OPI – T. P. ADAMI, Guida storico-artistica della Città di Orvieto, Siena 1883, 246, 264/71 – G. BUCCOLINI, Il Problema archeologico di Orvieto antica, Orv. 1935, 110/12 – R. FAGGIOLI, La chiesa ed il convento servitano di Orvieto (Studj storici dell'Ordine dei Servi di Maria VII 1955/56, 30/64;) – L. FIOCCA, Chiesa ed abbazia di SS. Severo e Martirio (Bolletino d'Arte IX 1915, 195/208) – L. FIUMI, Orvieto, Bergamo s. d. 30/32 et passim – L. FUMI, Codice diplomatico della Città Orvieto, Firenze 1884, XLI 184, 339, 583, 718 – Monumenta Ordinis Servorum Mariae XVI 1966, 331/33 (2 documenta an. 1270), XVII 1967, 24 – P. PERALI, Orvieto. Note storiche di topografia, Orvieto 1919 pp. 50/52, 56, 297 – Anal. Praem. 1956 379; ibid. 1959 317.

Abbates

(Bonitius 1055)	Giovanni Aldobrandini ca. 1570
Gervasius 1226–	Card. Girolamo Simoncello 1583
Nicolaus –1265 ⁵	Card. Scipio Borghese 1613
Martirius 1265–	Antonio Barberini 16..
Raynaldus 1274	Paoluzzo Altieri 1° 16..
Bartholomaeus 1277/99 ⁶	Francesco Maria Febei
Paulus –1362 ⁷	Paoluzzo Altieri 2°
Bartholomaeus de Orvieto 1363– ⁸	Giambattista Altieri 16.. ⁹
Nicolaus Marsciani 1373/99	Card. Paca 1838
Joannes Mazey (Olivetanus) 1450	Card. Luigi Tosti –1864
quondam abbas	Inseri nequit: Gerardus Nocr. Braine
Cardin. Pietro Barbo 1442/64	4. XI

ROMA S. (Bonifacii et) Alexii

SS. Alexii et Eufomiani, – in Blacerna, Sant'Alessio sull'Aventino. In monte Aventino, prope monasterium S. Sabinae.

Abbatia. Anno 977 Sergius Metropolitae Damasci a Summo Pontifice ec-

⁵ Reg. Clement IV 1265–68, ed. M. Jordan, Paris 1900, 151.

⁶ Arch. Com. Orvieto. l. c.; Reg. Urbain V, ed. M. Dubrulle, Paris 1895, 151.

⁷ Reg. Urbain IV, V 151.

⁸ Ibidem.

⁹ Qui eremitam in abbatia desolata instituit.

clesiam Sancti Bonifacii in Aventino obtinuit, et duo monasteria – alterum graecum ordinis S. Basilii, alterum latinum ord. S. Benedicti – ibi instituit. Ab anno 987 copatronus Alexius. Anno 1217 enim detectae sunt reliquiae illius, sicut et scala lignea, sub qua dormiverat. Tantus dein erat affluxus fidelium ad ecclesiam, ut Gregorius IX anno 1231, monachis relaxatis amotis, Praemonstratenses ex ipso archicoenobio eo advocaverit¹. Anno 1238 Wilhelmus abbas quondam generalis ibi sepultus est. Monasterium saeculis XIII et partim XIV fuit maximi ponderis, immo ad tempus praestantissimum totius urbis. Abbas erat infulatus, procurator ordinis in ea residebat, anno 1256 abbas simul cum abbatibus Middelburgensi et Antwerpiensi statuta ordinis reformavit. Communitas tamen ibi erat exigua: anno 1271 signat abbas cum quinque 1284 item cum quatuor, 1288 cum septem canonicis. Ecclesiae incorporatae: Santo Stefano di Castro Moroni et capella San Giacomo de' Ogliari. Durante exilio Avenionensi disciplina paulatim corrumpitur et canonica est depauperata. Anno 1390 iam data est in commendam, remanserunt tamen apud ecclesiam quatuor Praemonstratenses. Anno 1398 Bonifacius IX bona monasterii incorporavit Capitulo S. Petri, retenta pensione annua 200 florenorum pro quatuor canonicis ecclesiam deservientibus. Quod vero decretum non est in praxim deductum. Anno 1412 Joannes Pp. XXIII bona spectabilia abbatiae prope Viterbo sita, fisco suo militari tradidit². Anno tamen 1420 adhuc nominatus est canonicus ex ordine: Christianus Cobant ex Ratzburg in Saxonia³. Fuit „filius protectionis“, ideo potius commendatarius non residens, qui nec potuit inhibere devastationem abbatiae: anno 1423 „abscinduntur arbores et vineae S. Alexii“. Fuit exinde abbatia commendataria usque ad saeculum XIX. Anno 1426 commendatarius quidam voluit instaurare cultum S. Alexii et tradidit monasterium desolatum Hieronymitis „quia a longis retractis temporibus personis in regulari observantia viventibus caruit, et eodem cultu quasi remansit destitutum“⁴. Abbas generalis J. Despruets, nesciens hoc monasterium iam diu esse amissum, venit ad visitandum anno 1578⁵. Ab anno 1587 S. Alexius facta est titularis ecclesia cardinalitia. Hieronymitis secuti sunt Somaschi anno 1846 usque in hodiernum diem. Maior pars aedium hodie occupatur ab „Istituto di Studi Romani“⁶ in

¹ POTTHAST, 8656.

² Suspiciari licet, inter illis fuisse et bona abbatiae de Orte, quam ordo iam diu amiserat, de qua supra.

³ Vide de hac ecclesia cathedrali supra apud Circ. Saxoniae. De Chr. Cobant vide RepGerm IV 1, 70; et F. BAIX, Un prélat norbertin, Christianus Cobant, in: Anal. Praem. XXVI (1950), 170/75.

⁴ Bulla Martini V an. 1426, in MÖIG Ergb. I 1885.

⁵ VALVEKENS Vis. Can. 138/39 et LEPAIGE 1070.

⁶ Annis 1807–13 inservit ut refugium Ferdinandi regis Hispaniae, a Napoleone expulsi.

ecclesia, e medio aevo subsistit praeter turrim, pavementum et portam pulchra crypta saeculi XII.

Archivalia: Arch. di Stato Roma: 144 chartae et MS Chronicon. – Arch. Vaticano 5 voll. copiae chartarum, in Bibl. Barberini illi adiuncta pariter XXXII 228 – BMun Nancy 992/I 76/77, 81.

Bibliographia: Auvray 801, 1198, 1739, 4103, epist. 4 et 491 – BACKMUND Ord. Praem. 30/32 – COTTINEAU 2502 – FABRE 309 – Form. Pr. 31 – GOOVAERTS IV 56 – HOBERG 164 – HUGO I 145 – KEHR It. Pont. I 115/16 – LAIRUELZ 421/22, 780 – LEPAIGE 679, 1070 – Lettr. com Jean XXII 42699, in multis aliis citatur tantum – LUBIN 328 – MORONI XXXI 89/101 – Ob. Praem. (1925) 22. III, 30. V, 22. VII – POTTHAST 4545, 5505, 5829, 8656, 8955, 16498, 24183 – Reg. Boniface VIII 4882, 5402/03 – Reg. Honorius IV 5677 – Rep. Germ. IV 1, 70, 335, 2731 – VALVEKENS Vis. Can 138/39 – ZAK OPIG M. ARMELLINI, Le chiese di Roma, Roma 1891, II 585 – A. BACKOFEN StudMitt OSB XIX, 1898, 648 – Bullarium Basilicae Vaticanae, Romae 1750, II 46/48 – C. GALASSI PALUZZI, L'Istituto di Studi Romani, Roma 1941, 160/202 – F. GREGOROVIVS, Storia della Città di Roma nel medio evo, Roma 1912 (existit in variis linguis) I 539, II 68, – G. LUGARI, S. Bonifacio ed Alessio sull'Aventino (Dissert. Aced. Rom. Archeolog. 1893, serie II tom. V, 1/50 – F. MARTINELLI, Roma ex ethnica sacra, Roma 1668, 54 – A. MONACI, Regesto dell'Abbazia di St. Alessio (Arch. Soc. Rom. XXVII 1904, 351; XXVIII 1905, 151, 395 – F. NERINI, De templo et coenobio SS. Bonifacii et Alexii historica monumenta, Romae 1752 – N. SPEZI, Bibliografia metodo-analitica delle chiese di Roma, R. 1928 – G. VASI, Delle magnificenze di Roma antica e moderna, Roma 1756 VII 129 – L. ZAMBARELLI, SS. Bonifacio ed Alessio all'Aventino (Le chiese di Roma illustrate Nr. 9) Roma s. d. – Anal. Praem. VI 1930 409, XXXV 1959 314. –

Abbates (NERINI, MONACI)

Angelus? 1235	Joannes 1330
Laurentius 1242/ca. 52	Jacobus?
Jacobus 1252/62	Gulielmus 1334
Raynaldus 1265/66	Bartholomaeus 1349/77
Joannes 1271/74	Petrus de Muscianis 1377–
Ascanius 1277/81	Dominicus 1388/90 ⁸
Stephanus 1281/91	Card. Cristoforo Maroni 1390/1404
Franciscus 1296/1306	Card. Antonio Gaetani 1404/12
Hieronymus 1310	Card. Pietro Stefaneschi 1412/17
Conradus 1315	Christianus Cobant 1420/23
Joannes 1319	Card. Alfonso Alborno 1425–
Matthaeus ⁷	

⁷ Saec. XIV abbas quidam S. Martini Laudunensis (Laon), probabiliter huius nominis, transiit ad Stum. Alexium, forte inter annos 1324/29 (Form. Pr. 31).

⁸ Factus est episcopus de Sergna an. 1390. Promotus est apparenter, ut amoveatur, et locum det commendatario cuidam cardinali. (Cf. Anal. Praem. VI 1930, 409). Translatus est an. 1402 ad sedem Sessa Aurunca, ubi an. 1417 obiit.

ROMA Collegium S. Norberti

In monte Viminali, in Via quondam Felice, nunc Agostino Depretis.

Adrianus, Stalpaerts, abbas Tongerloensis in Belgio († 1629)¹ anno 1618 collegium in Urbe pro canonicis abbatiae suae fundare tentavit. Primo negotiabatur de ecclesia SS. Petri et Marcellini, de qua infra, anno 1627 collocatum est in domo provisoria prope S. Mariam del Popolo. Anno vero 1632, auxiliante domino Joanne Honorio van Axel de Seny, nobili Belga et benefactori insigni, empta est domus definitiva in angulo Quattuor Fontium in monte Viminali, quem antea possederant Cistercienses. Collegium hoc exclusive erat destinatum pro Circaria Brabantica, duce abbatis Tongerloensi, quae semper praesidem ex suo coetu nominavit. Eius sodales admittebantur bini, ex aliis canoniis circariae unus, ex Berna et Dilighem² unus alternatim. Abbates ex Germania et Bohemia, si clericos studii causa miserunt Romam, eos in Collegio Germanico-Hungarico collacoverunt. Hispani et Galli habuerunt propria collegia in circariis suis. Praeses collegii Romani dignitate abbatiali erat auctus et munere insimul procuratoris totius ordinis semper functus est. Collegium erat conspicuum, pulchra capella ornata, et bene floruit per duo fere saecula. Anno 1799 a Gallis est saecularisata, sed illis profectis redintegrata. Cum interea omnes fere canonicae ordinis fuissent suppressae, collegium mox erat absque studentibus³, et ideo post mortem ultimi praesidis anno 1812 consignatum est Camerae Apostolicae. Anno 1833, Gregorius XVI aedes vacuas cessit sororibus D.N.J.C. de Monte Calvario, quae nostris temporibus domum vendiderunt laicis, qui eam demoliti sunt. Circa annum 1900 destructa est et venusta capella, quae instigante Pp. Benedicto XIII, anno 1735 in honorem B. Hermanni Joseph fuerat erecta.

Iam anno 1855 ordo habuit iterum procuratorem in Urbe, qui resedit in habitatione privata. Annis 1870/73 conatus est Collegium antiquum recuperare, quod vero frustratum est per saecularizationem omnium domuum religiosorum in Urbe, anno 1873 per gubernium Italiae peractam⁴. Anno 1882, Congregatio Frigoletensis in Gallia⁵, antiqui rigoris, domum procuratoriam

¹ Abbatia Tongerlo in Belgio, praestans ac adhuc florens. Vide BACKMUND Mon. Praem. II 330 sq.

² Vide ibidem 274, 280.

³ Gubernium Austriae, ubi ordo erat superstes, anxie studuit impedire omne commercium directum religiosorum cum Roma, et circaria Hispaniae, ab ordine iam diu separata, habuit proprium collegium Salmanticae et insuper annis 1807–14 et iterum 1820 magnis laboravit difficultatibus. Ideo nullus abbas in ordine curavit, ut collegium Romanum in statum pristinum redintegraretur.

⁴ Vide Arch. Abb. Tongerlo.

⁵ Frigolet prope Tarascon, antiquum monasterium OSB, dein OSA, vide hic infra III

erexit in Via di Monte Tarpeo 54. Anno 1896, cum Gallica illa Congregatio ordini esset adiuncta, procurator ordinis se transtulit in domum illam, quae mox, admissis studentibus ex toto ordine, ampliata est in collegium. Anno 1922 hoc collegium translatum est in Viam Urbanam juxta ecclesiam S. Pudentianae, ubi ab anno 1937 et abbas generalis resedit. Anno 1950 vero constructa est ampla nova domus generalitia cum Collegio Norbertino coniuncta, in Monte Aventino, Viale Giotto 27, quae est nunc unica domus ordinis in Italia.

Series praesidium et procuratorum Ordinis⁶
(ZAK, emend. a NYS)

Cosmas Dillen 1625/29	Louis Auvray 1874/76
Cornelius Hanegraaf 1629/36	Vitalis v. d. Bruel abb. tit. de Flo-
Joannes Coomans 1636/44 ⁷	reffe 1876/1910
Siardus de Smet 1644/46	Josephus Nouwens Prof. Bernensis
Cornelius van Houthem 1646/60	1910/20
Walter van Hilst 1660/66	Hubertus Noots, abb. tit. de Flo-
Valerius Mundelaars 1666/83	reffe 1920/37, abb. generalis
Ignatius Backx 1683/1726	1937/62, †1967
Norbertus Mattens 1726/28	Norbertus Calmels, abb. de Frigolet
Paulus Kint 1729/36	1946, abb. generalis 1962–82, episc.
Nicolaus Meyers 1736/78	tit. de Tusa nominatus 1977.
David de Smedt 1779/1804	Marcellus v. d. Ven 1982– abb. ge-
Joannes Bapt. Sneyers 1804/12	neralis
Jacobus Vos, can. Averbodiensis	
1855	

Archivalia: in loco. Cf. etiam Arch. de Tongerlo, in Averbode sunt Statuta anni 1628, ed. VALVEKENS.

Bibliographia: BACKMUND Ord. Praem. 33/35 – GOOVAERTS I 180 193 – HUGO nescit – MORONI LV 156 – ZAK 6 – L. VAN DIJCK, L’Affaire Raguét (Anal. Praem. L, 1974, 3/4 et LI, 1975 1/2) – L. GEVELERS, Voorzitters, Amb tenaren en Studenten aan het Norbertijnsch College te Rome 1626/1793, (Bijdragen Gesch. Hertogdom Brabant XII 1913, 21/30, 145/60) – G. HOOGWERF Joannes Honorius van Axel de Seny, stichter van het Collegie van den hl Norbertus te Rome (Mededelingen van het Ne-

³³⁷ sq. Ibi anno 1858 monachus quidam O Cist observantiam primaevam Ord. Praem. restauravit.

⁶ Saeculis XVII generatim fuerunt abbates titulares de Belchamps, Abbatia Ordinis prope Montbeliard, saec. XVI per toparchas acatholicos, suppressa. Vide supra.

⁷ De illo viro clarissimo fuse tractat van DIJCK o. c.

derlandsch Institut te Rome, II 1932, 119/27) – H. LAMY, La devotion de Benoit XIII pour le B. Herman Joseph (Anal. Praem. XV 1939, 53/63) – W. van SPILBEECK, De Abdij van Tongerlo, Lier 1888, 442 sv. – A. TANI, Gli Ordini religiosi a Roma, R. 1931, 20 – J. B. VALVEKENS, Statuta Collegii Praemonstratensis in Urbe (Anal. Praem. XLIII 1967, 154/63) – IDEM, Praemonstratenses in Collegio Germanico-Hungarico in Urbe degentes (ibidem XXIX 1953, 129/30) – P. VISSCHERS, Geschiedkundige inlichting over het Norbertynsch College . . . te Rome, Antwerpen.

ROMA S. Crux in Laterano

Ex documento quodam anni 1295 tantum novimus, hanc domum extitisse: „Romae Lateranensis ecclesia ad Sanctam Crucem, filia Magdeburgensis“. Secus nullum vestigium de ea reperiri potuit, ex quo concludi licet, vitam eius fuisse brevem. Certe non agitur de basilicis S. Joannis in Laterano vel S. Crucis in Jerusalem, illi vicinis, quarum secunda aliquando etiam „S. Crucis in Laterano“ appellabatur. Illae enim tunc temporis ad alios ordines pertinerunt. Fuit vero prope basilicam S. Joannis oratorium quoddam ad S. Crucem, cui forte monasterium parvum erat adnexum, in quo circaria Saxoniae, tunc omni modo independentiam suam ab ordine documentare studens¹, domum procuratoriam sibi instituit. Nil aliud enim haec domus nostra fuisse potest. Vix pertinuit ad circariam Tusciae, sed certe ad Saxoniam, inter cuius canonicas in documento supra allato enumeratur. Probabiliter haec domus, quae vix erat sui juris, sed forte domus formata, paulo post, profecto enim anno 1300 Summo Pontifice in Avenionem, fuit iterum derelicta. Diu in posterum, sicut antea, canonici Lateranenses hoc oratorium servierunt. Ad tempus usque Sixti V (1585–90) extitit, sed nunc ne vestigium quidem subsistit.

Bibliographia: BACKMUND Ord. Praem 36 – Mecklenburgisches Urkundenbuch, Schwerin 1863, III, 2343. De oratorio S. Crucis vide, LThK, VI, 402–3.

ROMA B.M.V. Einsidlensis

Neu-Maria-Einsiedeln

Parthenon tertii ordinis regularis, perpetuae adorationis. Anno 1774 emit parochus J. Helg ad modum alterum parthenonum, quos fundaverat, Berg Sion et Berg Tabor² pretio 3600 florenis domum cum horto prope eccle-

¹ Vide supra.

² Vide supra apud Circ. Sueviae.

siam Sti. Joannis in Laterano, et misit eo aliquas sorores ex monasteriis supradictis. Ut fecit etiam ibi, et de domo romana non amplius curavit, eam derelinquens „providentiae divinae“ absque ulla dotatione.

Anno 1777 episcopus Curiensis, tamquam ordinarius Montis Sion, decrevit domum romanam ab illo parthenone omnino esse separandam. Nihilominus possumus supponere, sorores Romae secundum eandem regulam vixisse quam fecerant in Sion. Capella domus romanae fuit facsimile capellae BMV in Einsiedeln. Adorationem fecerunt in lingua germanica, attamen magnus erat affluxus populi. Anno 1778 ibi fuerunt 14 sorores. Nihilominus haec domus elanguit et ideo ab auctoritate pontificia initio anni 1783 est suppressa ex defectu dotationis. Novitiae translatae sunt in alia asceteria romana, sorores stirpis germanicae reverterunt in Helvetiam. Unica priorissa: Sr. Maria Rosa a SSmo Corde Jesu Endin. Nescitur situs exactus, nec sors aedium post suppressionem.

Archivalia: Stiftsarchiv Einsiedeln: Diarium P. Otmari Ruepp, et aliquae epistolae eius – In Chur et in Berg Sion invenitur nihil.

Bibliographia: P. J. SALZGEBER, Das Frauenkloster Neu-Maria-Einsiedeln in Rom 1780. Bericht und Briefe im Tagebuch von P. Otmar Ruepp OSB (1739–1801), in „Maria Einsiedeln 1981, pp. 308 ff. – J. WIDMER, Das Prämonstratenenserinnenkloster Berg Sion einst und jetzt, Uznach 1932 p. 12, 36/38

TODI S. Leucius

Tudertum. Hic et illic, sed raro et probabiliter erronee, etiam „S. Lucius“ vocatur, quo nomine etiam antiquissimis catalogis et fontibus ordinis est insertum. In culmine montis supra civitatem Tudertinam amoenissime quondam erat situm, in eadem dioecesi, in Umbria.

Coenobium antiquissimum, spectabilissimum atque ditissimum erat totius circariae, sed vitam habuit omnium brevissimam. Primitus fuerat ordinis S. Benedicti. Origo et fundatio eius sunt in tenebris. Forsan fuerat una ex cellis et proprietatibus abbatis Phaphensis (Farfa), quae in regione Tudertina multa habuit bona. Tamquam abbatia videtur fuisse constitutum paulo ante annum 1040. Ecclesia consecratur an. 1111. Anno 1133 traditur ordini nostro. Haec prima fundatio ordinis in Italia fuit filia S. Mariae in Nemore in Lotharingia¹. Lairuelz dicit, canoniam „S. Lucii“ fuisse fundatam „tempore Simonis socii S. Norberti“². Hugo supponit hunc Simonem fuisse abbatem

¹ Ste. Marie-au-Bois, BACKMUND Mon. Praem. III 93/96.

² LAIRUELZ 771.

S. Mariae, et ideo ponit foundationem S. Leucii inter annos 1168 et 74. Quod est apertus error, agitur enim hic de Simone I., Lotharingiae duce, cuius laudem exaltat ipse Hugo, et qui fuit revera familiaris S. Norberti³. Hanc domum umquam fuisse monasterium duplex, non est probabile. Anno 1145 Eugenius Pp. III abbatiam suscepit in protectionem apostolicam, possessiones et iura eius confirmavit, concedens ei et liberam sepulturam⁴. Honorius III anno 1218 monasterium a jurisdictione episcopali exemit, „in capellis vero (id est, in ecclesiis incorporatis) ius obtinet episcopus Tudertinus. Abbas et monachi litanias maiores libere ex devotione propria faciant in ecclesia cathedrali“⁵. Capellae illae erant incorporatae ex tempore benedictino: Todi S. Benedetto, S. Martino di Pugliano, S. Maria in Collegatone, S. Lorenzo di Loreto, S. Lorenzo de' Arci, S. Cataldo di Mogliemala, S. Giovanni Ammecati, S. Zenone, San Salvatore di Montione, Eremo di Mastramilte. De Prioratibus vide infra. Anno 1222 in conventu fuerunt praesentes: praeter abbatem quatuor „domini et monachi“ et tres „praebendarii“, qui erant probabiliter clerici saeculares et propinqui dictorum „monachorum“. Anno 1227, „cum multa enormia committantur in hoc monasterio, quae limam correctionis exposcunt“ visitatio apostolica per monachum quendam Cisterciensem est peracta⁶.

In bulla quadam Innocentii III de anno 1207 abbatia nostra designatur tamquam benedictina⁷. Aliunde certitudo nostra tam firma est, hoc veritati non concordare⁸, ut nonnisi errorem – quod enim saepius irrepsit curialibus – vel potius fraudem a parte religiosorum suspicari possimus. Disciplina benedictina nempe hoc tempore habebatur nostra longe mitior, praesertim cum apud ordinem S. Benedicti tunc omnis abbatia fuerit libera et independens, a nullo abbate vel capitulo generali in sua relaxatione molestata. Ideo religiosi Tudertini forte se coram Curia Romana Benedictinos esse finxerunt.

Iam ex paucitate religiosorum apparet collapsus monasterii, sed probabiliter modum vivendi aliarum abbatiarum Italiae eiusdem ponderis tunc non excessit. Tamen vix possumus intelligere, quomodo abbas generalis Wilhelmus anno 1233 hanc canoniam „omnibus Italiae coenobiis ad vitae regimen

³ HUGO Ann. II 199/202.

⁴ DELORME 222.

⁵ Ibid. 224.

⁶ PRESSUTTI II 6274.

⁷ BATTELLI tav. 11.

⁸ Primo: abbatia invenitur in variis catalogis ordinis saec. XIII, secundo: Henricus ille, ultimus superior, de quo infra, designatur expresse ut „ordinis primonstratensis“ (Arch. Vat. Tudert., 10).

et disciplinam formam“ dare potuerit⁹. Visitatio apostolica supra allata videtur fuisse inutilis.

Videtur et fuisse inhibita electio abbatis, anno 1236 nempe loco eius est „Henricus custos rerum monasterii“ qui hoc anno, praesente Symeone canonico S. Severi Urbevetano, in aula capitulari coactus est inventarium omnium bonorum canonice proponere¹⁰. Quod vero nondum erat suppressio illius. Quae quidem iam fuerat decreta, hoc anno 1236 enim fundatum est monasterium Ord. S. Clarae in vicino Monte Sancto, in cuius dotationem Curia Romana bona S. Leucii destinaverat¹¹. Etsi in hoc documento verbum fit de „quondam ipsius monasterii monachis testibus“, Henricus videtur potuisse suppressionem adhuc retardare. Anno demum 1244 „Henrico canonico Tudertino“ ab Innocentio Pp IV iubetur, bona et proventus S. Leucii extradere monialibus Montis Sancti¹². Aedes S. Leucii traduntur Dominicanis.

„Enormia“ quae reprobaverant conventui S. Leucii, non potuerunt fuisse tam gravia. Wilhelmus abbas generalis, qui anno 1233 laudes illius exaltaverat, non enim erat caecus. Sed Dominicani voluerunt monasterium in civitate Tudertina, et moniales Montis Sancti erant cupidae bonorum opulentium abbacie S. Leucii – ambo habuerunt longius brachium apud curiam Romanam – et ideo monasterium S. Leucii non fuit, ut oportuit, reformatum ex vicina abbacia S. Severi adhuc vitali, sed suppressum. Henrico illi (probabiliter) impositum est, ad poenitentiam faciendam, intrare in ordinem Minorum, quod promisit, sed „impotentiae corporis causa“ non potuit; in statu clericali tamen potuit permanere¹³.

Saeculo XIV S. Leucius erat parochia. Anno 1371 omnes aedes eius a Summo Pontifice solo sunt aequatae, ut in loco eius arx ad defensionem civitatis exstrueretur. In posterum et arx illa fuit rasa, et hodie est ibi hortus publicus. De canonica vero ne lapis quidem superest, nisi forte columnae romanae in porta actuali ecclesiae Dominicanorum Tuderti, quae a S. Leucio provenire feruntur.

Abbatia S. Leucii habuit, ex tempore benedictino, prioratus sequentes: S. Joannis in Plano, S. Giacomo di Cuti, S. Maria delle Gradelle, S. Sisto di Naia, Todi S. Ilario, S. Lorenzo di Poliano. Quidam ex illis fuerunt communitate parva praediti, ergo domus formatae. Duo, ut S. Maria delle Gradelle et S. Joannis in Plano immo habuerunt proprias capellas sibi incorpora-

⁹ Hugo II 112.

¹⁰ Arch. Vat. Tudert. 10 Documentum hoc est ingens (90/52 cm).

¹¹ Monasterium hoc nunca FF. Minoribus habitatur, bona data sunt dioecesi.

¹² POTTHAST, 11406. Quod forte innuit, Henricum interea canonicatum apud ecclesiam cathedralem esse adeptum.

¹³ POTTHAST, 14012.

tas. Ista domus S. Joannis longe erat maximus inter omnes prioratus S. Leucii. Situs eius non cum certitudine definiri potest. Inter tot „San Giovanni“ in regione Tudertina existentes nostro in casu potissimum San Giovanni di Pantalla intelligi potest. Usque ad annum circiter 1170 ibi fuit parva communitas canonicorum ordinis nostri¹⁴.

Decrescente vero conventu S. Leucii, et labente eius disciplina versus finem saeculi XII, hic prioratus, sicut et alii, datus est clero saeculari, manente iure abbatiae¹⁵. Excrevit deinde in parvam ecclesiam collegiatam, cuius superior titulum „prioris“ sibi vindicavit. Anno 1202, per abusum prioratus S. Joannis a Cardinale quodam conceditur cuidam sacerdoti saeculari. In posterum abbates S. Leucii pro juribus suis, ex incorporatione prioratuum emanantibus, pugnant et anno 1231 obtinent bullam, cuius vigore ecclesiae subditae nullos (scil. canonicos) recipere possent absque eorum consensu¹⁶. Ex pondere huius prioratus et ex supra allatis concludi potest, saecularibus canonicis, qui realem personam juridicam se constituere praetenderunt, tales ex ordine simili in conditione viventes praecessisse. Anno 1253 abbatissae Montissanti ut successori abbatis S. Leucii, confirmatur jus nominandi priorem S. Joannis. Anno 1277 verbum fit de „canonicis S. Joannis“, quod vero consideratur ut titulus illegitime arrogatus.

In Archivo Vaticano sunt inter „Instrumentis Tudertinis“ 12 diplomata, in Archivo Communi Tuderti, Fondo di S. Francesco 11, quae referunt ad S. Leucium.

Abbates, sec. Arch. Vaticanum: (Tudinus 1040, Johannes 1051) – Rusticus 1145 – Laurentius 1171–77 – Clarius 1202–12 – Tudinus 1221–22.

Bibliographia: BACKMUND Ord. Praem. 38/42 – BERGER I, 52, Nr. 293; Nr. 50f. 8 – COTTINEAU 3166 – FABRE I 244 – HUGO II 112 – KEHR Ital. Pont. IV 38/42 – LEPAIGE 927 – POTTHAST 3852a, 5831a, 8806a, 11109, 11406, 14437, 14738, 16233, 16999, 17037, 17674, 25574, 26023, 26210 – PRESSUTTI I Nr. 1431, II 485 Nr. 6274 – RegImp (BÖHMER) III 492 – N. BACKMUND, Ein Inventar der Abtei St. Leucius in Todi (Anal. Praem. 1969, 84/89) – G. BATELLI, Exempla Scripturarum, Acta Pontificum. Romae Vaticano 1933, tav. 11 – P. CENCI, Tre importanti documenti dell'Archivio della Biblioteca Vaticana per la Storia d'Umbria (Bull. Dipl. Stor. Umbria XXVII 1926, 201/11) – F. DELORME, Documents sur Cuti, Montesanto San Francesco et San Fortunato de Todi (Miscellanea Francescana XL, Roma 1940, Nr. 1, 4, 5, 11, 12, – P. KEHR in „Göttinger Nachrichten“ 1900, 124, 142 Nr. 3 – L. LEONI, Memorie storiche di Todi, Todi 1860, p. 298 – G. SBARALEA, Bullarium Franciscanum, I Roma 1759, p.

¹⁴ Bulla Honorii III anni 1221, in qua dicitur Tudino abbati S. Leucii „... tu proponebas, quod cum a quinquaginta annis in predicta ecclesia monachi monasterii tui fuissent...“ (DELORME, n. 5).

¹⁵ Iam an. 1218 omnes prioratus erant occupati a clericis saecularibus, sed adhuc fuit praevisum, ibi ut antea „monachos“ collocare, (DELORME, n. 9).

¹⁶ POTTHAST, 8806a, 26210.

Fundationes intentae sed non perfectae.

Loqui oportet et de foundationibus quibusdam consideratis in Urbe saec. XVI/XVII, quae vero non sunt in praxim deductae, et de domibus, quae aut numquam extiterunt aut quae erronee Ordini Praemonstratensi a quibusdam auctoribus attribuuntur. Anno 1582 protector ordinis, Cardinalis Buoncompagni, abbatii generali Despruets ecclesiam suam titularem ad S. Sixtum obtulit ad fundationem abbatiae ordinis. Respecto misero statu, in quo ille tunc versabatur, amissio tot circariarum per protestantismum, dum in regnis catholicis canonicae aut commendae devastarentur aut mala disciplina laborarent, abbas generalis hanc oblationem recusavit¹.

Anno 1609 Paulus Pp. V apud ecclesiam SS. Petri et Marcellini, etiam Romae voluit fundare novam canoniam ordinis ea sub conditione, ut ille 1500 scutos annuatim ad sustentationem eius contribueret. Diu hoc negotium est tractatum, cum vero omnes circariae hanc contributionem praestare renuissent, neque abbas Tongerloensis dictae ecclesiae collegium suum studiorum vellet adnectere, hoc propositum anno 1625 derelictum est².

PRAETERMISSA

Lubin errat in duobus casibus. Legit in Registro quodam vetere Taxarum Camerae Apostolicae: „De Mille Dioc. Aquensis Ord. Praem“, (= Acqui, in Piemonte), loco: „Dei Uille Dioec. Aquensis“ (= Dax, in Aquitania). Est ergo corruptela pro abbatia Dei Villa (= Divielle) in circaria Gasconiae³. Etiam monasterium quoddam S. Praxedis Ord. Praem. praetendit invenisse in eodem Registro Taxarum, quod pariter est error⁴. Tamburini adscribit monasterium „B.M.V. de Verinando“ ordini nostro⁵, quod est confusio cum abbatia gallica de Vermand⁶.

Abbas S. Samuelis in Barletta circa annum 1216 scripsit abbati generali

¹ Anal. Praem. I, (1925), 102.

² Bulla Pauli V apud HUGO, I, 148–54.

³ LUBIN, 220, BACKMUND, Mon. Praem. III, 177–80.

⁴ LUBIN, 342.

⁵ P. TAMBURINI, De jure abbatum, III, 469.

⁶ BACKMUND, Mon. Praem. II, 426–8.

Gervasio de „enormibus, quae in abbazia de Brundusio acciderant“. Nuntius, cui hanc epistolam commiserat, fuit religiosus quidam illius abbatae, qui et ipse in graves culpas se constrinxerat. Gervasius dicit de illo, in suo responso: „... curetis eum vel restituere loco suo, vel penes vos, si malueritis, vel apud S. Stephanum in Nemore collocare. . .“⁷. Ex quo passu concludit idem Hugo in suis annalibus⁸, S. Stephanum fuisse monasterium ordinis nostri. Revera autem fuit carthusia celebris, quae in Calabria est sita. In nostro casu, abbas Generalis voluit insinuare, peccatorem illum eo mittere ad poenitentiam agendam. Saepius enim accidit, quod illis saeculis clerici saeculares et regulares ad hoc in carthusias mittebantur⁹.

